






MISCELLANEE
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1057
12



CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

AD MENTEM

ANGELICI PRÆCEPTORIS

SUB AUSPICIJS

REV. ADMOD. PATRIS NOSTRI PAT. FR.

HYACINTHI A S. CATHARINA

CARMELITARUM DISCALCEATORUM

PRÆPOSITI GENERALIS

publico certamini expositæ

A COLLEGIO FLORENTINO

EIUSDEM ORDINIS.







FLORENTIÆ, MDCCXIII.

Apud Petrum Matini Archiepisc. Typogr. *Superiorum permissu.*



REV.^DE^ ADM. PRÆSUL, ET PAT. N. OBSERV.^ME^



Uod iure servitutis exigitur, in obsequij monimentum exhibere iniusta res est omnium iudicio. Virtutum merita dignam sibi vendicant honorem, quamvis denegetur: nec propterea sua laude privantur, si debitam eis tribuere commendationem quis negligit. Tua sic virtus, PRÆSTANTISSIME PRÆSUL, nostris oculis sese offert, Iustitiæ debito exposcit, quæ officiosus animus in observantiæ testimonium elargiri contendit. Ast nostra hæc Theoremata, ipsiusve virtutis splendore inspecto, iustitiæ legibus renuunt subiacere. Tuum se devinctura sic sperant animum, ut Israeliticus Miles solius buccinæ sonitu munitissimæ arcis Ierico est absque prælio potitus: nisi fortè cum animi tui modestia certare daretur; dùm perspectum habemus Te

 potissi-

potissimùm laudes abhorrere. Possemus namque, ni iusto silentio teneremur, percurrere quanta Tibi, Germanoque Tuo Vigilantissimo nostro Protectori Congregatio nostra, Provincia hæc, nosque omnes debeamus: Sed minimè poterant suum abscondere fulgorem prudentia in agendis; in discernendo Sapientia; assidua in regimine Sollicitudo. Hic igitur virtutis splendor, qui Tuum exornat animum, nostrum excitavit affectum in tui commendationem. Exigua profectò munera largitur; sed non maiora patitur, quæ Te exornat modestia. In pauperis speciem exigui videlicet huiusce muneris oblatione accedit; Sed animi Tui magnitudine inspecta gratam fore non dubitat. Vox quidem, ut senescentis Isaac verbis utamur, vox Iacob est, sinceri nimirùm affectus; sed manus manus non sunt Esau muneribus redundantes: Ut igitur Isaac filij vocibus humaniter attendit; Sic hisce Thesibus, PATER NOSTER OBSERVANDISSIME, aures ne subtrahas; ac dum patrocinium unicè exposcunt, ad trutinam eas ne revoces. Hoc pacto, ut quondam stante Sole victor extitit Iosue; sic inconcussa Thomistica veritate vincemus. Pugna etenim, Te protegente, certus erit triumphus; Te in nobis pugnante summa gloria; Te humaniter annuente in Tui cedet commendationem, in nostræ devotionis adscribetur argumentum.

CON-



CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.



THEOLOGIA, OBIECTVM, NECESSITAS.

T*Heologiæ audito nomine, sermo de Deo, rebusque Divinis menti tuæ suboriatur, quo Fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*. S. Aug. l. 4. de Trin. Hinc ejus objectum si de extensivo loquamur, illud est, quod mediatè cadit sub revelatione Divina; si verò de formali sit sermo, Deus solus sub ratione Deitatis per revelationem cognoscibilis. Hæreticus ergo veram Theologiam nullatenus habet, qui vel unico discredens articulo fidem totam amittit.

2. Sileant Atheistæ: datur Deus, infinitus, simplicissimus, nullumque potentialitatis, aut compositionis admittens vestigium: perfectissimus ita, ut omnes claudat in se perfectiones, aliquas tamen formaliter, aliquas eminenter tantummodò. Ubique est non per essentiam suam quasi per rationem formalem, sed per operationem virtualiter tantummodò transeuntem. Ad essentiam ipsius attributa sequuntur, nulla alia ratione ab eadem discreta, nisi virtuali distinctione, quacumque alia rejecta.

3. Quamquam singulos homines Theologos esse non sit necessarium, aliquos tamen extare necesse est, qui fidei veritates alios edoceant, errores impugnent, credendi impedimenta removeant, ac de-

nique fidem adversus Novatores, morumque corruptores illibatam conservent: Necessaria igitur Theologia est non singulis quidem hominibus, sed toti Ecclesiæ Dei. Habitus illa est naturalis, si entitatem inspicimus, quosvis alios ejusdem ordinis certitudine, ac dignitate præcellens.

VISIO, ET SCIENTIA DEI.

4. REx sæculorum immortalis, & invisibilis per naturam; visibilis fit per gratiam: scilicet, *Nos postquam filij erimus resurrectionis, tunc nosse Deum facie ad faciem dignabimur*. Bas. in Psal. 33. quod tamen corporis expers est in carnis oculos etiam glorificatos cadere nequit; solo ergo intellectu visio hæc peragetur, ad quam vel si ad omnipotentiam appelles frustra speciem aut impressam, aut expressam requires, quam omninò impossibilem reputamus.

5 *In lumine tuo videbimus lumen*: Adeo scilicet necessarium est, ut eius vices supplere, aut sine illo videri nequeat essentia Divina; illo verò confortatus, ac potens factus intellectus creatus non per speculum in enigmate, sed facie ad faciem Essentiam, Attributa, Personasque Divinas ita intuitivè rimatur, ut alius alio perfectiùs pro meritorum tantum diversitate cognoscat, ea tamen conditione, ut neque sine Personis essentia; neque una sine alijs Personis videri possit.

6. Scit omnia Deus summè sapiens, summè intellectivus, & hoc quia summè immaterialis, actus purissimus, cuius essentiam in actuali ponimus intelligere, ut sit ipse sibimet essentia, ac primordiale obiectum. Omnia ergo scit Deus, vel possibilia, & hæc per simplicem intelligentiam, vel in aliqua differentia temporis existentia, & hæc per scientiam visionis; ad hanc tamen necesse est, ut præterita, præsentia, futura, physicè, realiterque coëxistant æternitati.

7. Est ergo in Deo agnoscenda præscientia, cuius profectò *tantos testes habet* (Tertull. 2. contra Marc. c. 5.) *quantos Prophetas fecit*: Verùm in quo medio omnia præsciat exquiris? *Nos ista quæ fecisti videmus quia sunt, Tu autem quia vides ea sunt*: D. Aug. 13. Conf. c. 38. Non ergo quia sunt ideo novit, sed quia novit ea sunt, non in supercomprehensione, aut veritate abiectiva, *sed scit Deus nostras voluntates videndo suam voluntatem*: D. Thom. 1. contr. Gent. c. 68, hinc reprobatam habes scientiam, quam mediam appellant.

VOLUNTAS DEI, PRÆDESTINATIO, ET REPROBATIO.

8. Fiat voluntas tua, si quidem tantæ activitatis est, ut circa nullum volibile potuerit manere suspensa; tantæ actualitatis, ut absque distinctione, vel virtuali, suus sibimetipsi, sit actus: Ejus formale obiectum, motivum vel terminativum hoc sit sola Divina bonitas est, quam necessariò amat, contingenter verò creatam, nullo modo possibilem. Ut natura non distinguitur à se ipsa ut libera nec virtualiter, attingit & materiale peccati, materialiter tamen conceptum.

9. *Omnes forte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* (ad Eph. 1.) Neque enim nos ipsum elegimus, *sed ipse elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti*, (ibidem). Quæ adeoque ad sanctitatem, & ad gloriam electio, non ex prævisis meritis, sed omninò gratuita dicenda est. Prædestinatio actus est intellectus, imperium scilicet, connotans Divinæ voluntatis decretum: sunt ejus effectus prædestinati substantia, glorificatio, justificatio, vocationesque interruptæ, &c.

10. Deus, qui justus est, non potest quemquam sine demeritis damnare, potuit tamen reprobatione negativa excludere homines à Regno cœlesti, ut beneficio præcisè indebito; quotquot igitur sunt tali reprobatione exclusi, nullam suæ reprobationis in se ipsis causam requirant, secus autem qui ad pœnam in tenebras eiiciuntur. Reprobationis effectus sunt peccatorum permissiones, finalis impœnitentia, denegatio gloriæ, ac denique omnia quæcumque dona collata reprobis.

SS. TRINITATIS MYSTERIUM.

11. Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes Personas, ut Sebellius, neque substantiam separantes, ut Arius. Una ergo atque indivisa existente natura, *numerabilis facta est Santissima Trinitas tribus personalibus subsistentiis*; nempe Pater est, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui ab utroque procedit, ut distinctiones sint in Personis, unitas in natura, quæ non est generans, neque genita, neque procedens.

 12. Ex

12. Ex hac Fidei confessione duplicem ad intra processionem cognoscere necesse est, quarum una per intellectum, per voluntatem altera: illam generationem esse, hanc minimè, fides docet, cujus discriminis ratio, quia Filius vi processionis in similitudinem naturæ procedat, quod Spiritui Sancto negamus. Duæ igitur Processiones, tres verò Personæ, ac quatuor sunt relationes: harum tres ab invicem realem distinctionem important, spiratio autem activa à Paternitate, & filiatione non sic, nulla tamen perfectionem relativam importat.

13. In principio erat verbum, secunda scilicet Trinitatis Persona, quæ ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo necessariò, imò & creaturarum possibilium procedens, Verbi nomine propriè designatur, nec minùs filii, ac imaginis titulo nuncupatur, qui termini ipsi soli sunt proprii, quippe relativè dicitur Filius, relativè Verbum, ac imago, idemque omninò conceptus est ratio Verbi, ac Filij. Consubstantialis cum Patre est, ut Nicæna Synodus adversus Arrianos Fidei Symbolo inseruit.

14. Cum venerit Paraclytus, quem mittam vobis à Patre, quæ utique tertia Trinitatis Persona est, ac propriè dicitur Spiritus, Donum, & Amor, cujus processio unicum habens principium, duas tamen Personas expostulat necessariò, tantaque processionis ejus à Filio necessitas est, ut si ab illo non procederet, nec etiam distingueretur realiter. Ejus processio generatio non est, Deus tamen est, ut contra Macedonium Fides docet Catholica, ac Synodus Generalis secunda, contra eosdem Hæreticos congregata.

ANGELI.

15. DEus simul ab initio utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corpoream, Angelicam videlicet, & mundanam (cap. firmiter) spirituales sunt ergo Angeli cujuscumque expertes materiæ, vel si illam spiritualem effingas, ac ita numero immultiplicabiles, ut impossibile sit duos esse ejusdem speciei. Æquivocè in loco ponitur, sed ratio formalis non ejus substantia, verum potentia operativa cum exercitio, à quo ubicatio ipsa distincta non est, potest de extremo ad extremum sine medio transire.

16. Ut se ipsum cognoscat propria ei deservit ut impressa species essentia, quilibet autem quamquam inferior perfectè superiorem comprehendit, at quò superior est Angelus, eò universaliores habet inditas spe-

species. Deus omnium corda novit, Angelus autem, quæ ad ordinem universi spectant cognoscens, cum ad cordis secreta venimus prorsùs in obscuro laborat nisi ad eum ordinentur: Sic de futuris contingentibus, ac gratiæ misteriis dempta revelatione sustinemus.

17. Intellectualem creaturam in omni ordine indefectibilem absolutè impossibilem reputamus; possibilis tamen, ac de facto impeccabilis Angelus est circa finem naturalem directè, ejus autem deformitas nec in primo instanti, nec connaturaliter, nisi à peccato superbiæ initium sumere potuit, quod nec error præcessit, aut potuit præcedere. Quid autem peccati ejus fuerit obiectum inquiris? Non omnimoda cum Deo æqualitas, sed beatitudo naturalis sine subiectione ad supernaturalem concupita.

FINIS. BEATITVDO. VOLVNTARIVM.

18. GAudent media intrinseca bonitate, sola tamen bonitas finis formaliter voluntatem specificat, illorum verò electionem; omnes ergo, & solas actiones humanas esse propter finem ultimum necesse est, adeoque Bruta non agunt propter finem formaliter. Finis ultimus peccantis mortaliter est bonum commutabile, sub ratione boni proprii ipsius, in quo quærit quæ sua sunt. D. Aug. 14. Civ. c. ult. *amore sui usque ad contemptum Dei*. Finis autem ultimus justi quamvis peccantis venialiter est Deus attactus habitualiter.

19. Formalis beatitudo possessio Dei est, cujus essentia si methaphysicè consideretur, in sola Dei unius, & trini clara visione consistit; nempè *visio est tota merces*: atque adeo felix est visio, ut omnem tollat miseriam, beatosque ab intrinseco impeccabiles reddat. Ex tali Beatorum visione deinde assignandæ veniunt, tum animæ, tum corporis dotes nempe pro illa Visio, Comprehensio, & Fruitio, pro corpore verò Subtilitas, Impassibilitas, Agilitas, & Claritas.

20. Voluntarium dicitur, quod est ab intrinseco cum cognitione, aliud perfectum, aliud imperfectum, perfectum verò, vel liberum, vel necessarium est, male proinde confunditur voluntarium cum libero, ac proinde falsæ propositiones: *Sola violentia repugnat libertati*: & *quod voluntariè fit*, &c Duplex libertas est specificationis una; contradictionis altera: ad primam requiritur, ut voluntas possit hoc, vel illud eligere, hoc acceptare, illud respuere: ad secundam, ut possit hoc facere, vel non facere, agere, vel non agere.

21. Via-

21. Viatoris voluntas à nullo creato obiecto quoad exercitium necessitari potest, ac per consequens, nec violentiam pati in eliciencia suorum actuum, nec Deus violentum simpliciter causare potest in creatura. Ut sit voluntaria omissio actum requirit, qui omittendi sit causa, vel occasio, imò & debitum non omittendi si tamen omissio sit non positio actus, insuper, ut effectus ex omissione secutus imputetur, debet omittens aliqualiter advertere, nihil enim volitum, quin praecognitum.

MORALITAS PECCATVM.

22. Moralitas essentialiter consistit in relatione transcendentali ad obiectum, ut subditum regulis morum, à quo actus moralitas specificatur, quapropter essentialis ab obiecto desumitur à circumstantiis accidentalis, utraque tum, ab actu, tum à libertate distinguitur. Eundem actum ex diversis principiis, bonum, & malum esse repugnat, actus autem ex obiecto malus nunquam potest à malitia excusari, quamquam bona intentione fiat: Unde falsa est illa quoque: *licitum est absoluto desiderio, &c.* 14. Inn. XI. & 15. consimilis aliaeque per multae: actus in individuo indifferens repugnat per se.

23. Peccatum commissionis in positivo consistit, sicut & potentia peccandi, omne autem peccatum legi Dei contrariatur, ac in voluntate principaliter, ac intrinsecè residet, quod suo modo appetitui sensitivo, non tamen aut sensibus, aut membris externis concedimus; ut autem mortale sit plena ex parte intellectus requiritur advertentia, plenusque, ex parte voluntatis consensus; sive autem omissio sit, vel commissio, dummodo ex eodem motivo procedant, moraliter ad eandem pertinent speciem peccati.

24. Dividitur Peccatum in Personale, & Originale; hoc contrahunt quotquot per seminalem propagationem ex Adam descendunt (excipe Beatissimam Virginem) atque in sola carentia Originalis justitiae consistit connotando tamen peccatum Adae in Divina abominatione irretractatum persistens, estque primo in specie superbiae, omnibusque per se, ac intrinsecè voluntarium, non quidem per modum exercitii formalis, at verò terminativè per modum effectus ex ordine ad voluntatem Adami, ut praecontinentem voluntatem aliorum.

25. Ad peccatum reatus poenae consequitur, infinitae quidem ex justitia quoad durationem; non tamen quoad intensionem, vel sit poena damni,

damni, vel sensus; Pueri verò qui sine Baptismo decedunt, non sensus pœna puniuntur, sed damni. Differt mortale à veniali, quod primum sit contra legem simpliciter, secus autem secundum; Perveniens verò ad usum rationis, sub mortali tenetur se in Deum convertere amore efficaci, atque ideo nullo pacto conjungi potest cum solo Originali Veniale.

DIVINA GRATIA.

26. PRimus homo conditus est cum perfecta agendorum cognitione, & virium inferiorum subiectione, Gratia Sanctificante, Fide, Spe, & Charitate decoratus, unde ex amore justitiæ sufficientem habebat potestatem actu datam ad implendum quodcumque præceptum in particulari, tam naturale, quàm supernaturale: *tales enim habebat vires ejus voluntas, ut perseverare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, & staret per liberum arbitrium*. D. Aug. de Con. & gr. cap. 12., at verò, quia causa secunda erat moveri debuit concursu prædeterminante.

27. Quinque sunt status naturæ, nimirum puræ, integræ, Originalis justitiæ, lapsæ, & reparatæ: in omnibus indiget gratia ad cognoscendas omnes veritates collectivè sumptas, non tamen divisivè. In natura autem lapsa constitutus homo potest aliquod opus moraliter bonum efficere sine gratia, non igitur omnium infidelium opera peccata sunt nec tamen potest sine gratia, naturam sanante, Deum super omnia diligere, gravesque vincere tentationes.

28. Sine gratia nullus cognoscere potest mysteria fidei, nec ad eam se propriis disponere viribus, adeoque facienti eisdem tantum, quod in se est, aut se non impedienti non confert Deus infallibiliter gratiam. Agnoscimus gratiam sufficientem, agnoscimus efficacem, primam quæ ad orandum sicut oportet sufficiat, efficax tamen non sit, secundam qua *Deus facit ut faciamus, prabendo vires efficacissimas voluntati*. D. Aug. de gr. & lib. arb. cap. 16., est ergo efficax ab intrinseco.

29. Gratia habitualis, qualitas est supernaturalis, naturæque Divinæ formalis participatio, hominem Deo gratum ex sua natura constituens, adeoque incompossibilis cum peccato; ab illa virtutes omnes, & ipsæmet Fides, ac Spes dummodo eidem comproducantur, physicè, realiterque dimanant, ut rigorosæ proprietates eiusdem: Perfectior simpliciter est quacumque forma substantiali, & Beatitudine ipsa, non tamen unione hypostatica, unde impossibilis est alia gratia in specie perfectior.

30. Ne-

30. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum*, nullus etenim scire potest, an odio dignus sit, vel amore, absque revelatione speciali. Nulla creatura potest gratiam producere principaliter, quæ tamen educitur, non creatur: Denique si quis dixerit in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare eidem anathema dicit Sacra Trid. Syn. sess. 6. can. 25., actus autem qui disponunt ad gratiam ab eadem gratia habituali eliciuntur.

31. *Fides est* (ad Hæb. 10.) *Sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, Donum Dei, virtus infusa theologica: hinc reprobatam habes Pelagianorum hæresim propriis eam viribus committentium; ac Semipelagianorum necessitatem gratiæ ad Fidei initium negantium; de quibus Arausic. 2. Can. 5 6. 7. 8. Fidei ratio formalis sub qua, est prima veritas in dicendo connotans primam veritatem in cognoscendo, ratio autem formalis, quæ, est prima veritas in essendo.

32. *Postulet in fide nihil hæsitans*, Jac. 1. nulla etenim hæsitandi ratio cum Dei revelantis authoritate nitatur, primæ scilicet veritatis, quæ nec fallere potest, nec falli, postulat ergo in assentiendo firmitatem, quæ omnem, vel levissimam suspicionem excludat: Hinc igitur nobis excludenda venit ea propositio *assensus Fidei supernaturalis stat cum notitia solum probabili, &c.* (Inn. XI. 21. inter 65. Non est ergo fides opinio, nec æstimatio, ut voluit Abailardus) sed certitudo firmior Scientia, Sapientia, Intellectu.

33. *Impossibile est Deum mentiri* (ad Hæb. 10.) hinc manifesta est Priscillianistarum blasphemia, Deum Authorem mendacii facientium; tanta igitur est infallibilitas fidei, ut ei, nec per se, nec per accidens possit subesse falsum. Regula fidei nostræ Ecclesia est à Spiritu Sancto directa: *Evangelio non crederem*, inquit Aug. contra ep. fund. c. 5. *nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret authoritas*: Poterit tamen, cui aliquid immediatè revelatum est, ut Prophetæ, Angeli, Apostoli, illud fide Divina tenere, quamvis non propositum ab Ecclesia.

34. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium* (S. Aug. de Civit. 22. 8.) evidenter enim credibilia sunt nostræ fidei mysteria: Duplex autem est credibilitas speculativa una, qua cognoscimus digna fide Divina esse mysteria ut credantur, practica altera, qua judicamus hic, & nunc esse credenda; hæc supernaturalis est, potest illa non esse; Concilia legitimè congregata, Pontifex ex cathedra loquens non possunt errare in materia fidei, ac morum.

35. Hæc

35. Hæc propositio Clemens XI. est legitimus Petri successor immediatè de fide est, non tamen de fide est illam propositionem esse de fide, quamvis contrarium aliqua censura sit dignum. Concedimus Peccatoribus fidem, neque enim per quodlibet peccatum mortale amittitur, Triden. sess. 6. c. 15. non tamen aut Hæreticis, aut damnatis; neque etiam Beatis, adhuc autem & qui scientiam habent, fidem habere de eodem dicimus implicare. Hoc tandem necessarium est ad salutem, remuneratorem explicitè credere Incarnationis, ac Trinitatis mysterium; reiicienda itaque venit 22. prop. inter 65. *non nisi fides unius Dei, &c.*

SPES, AMOR, TIMOR.

36. SPes Virtus est Theologica à Fide, & Charitate distincta. Deum attingit ejus innitens auxilio ad consequendam salutem, seu vitam æternam: Habet igitur pro obiecto Deum, Beatitudinem obiectivam, quamquis sperat, pro ratione verò formali, sub qua axilium Divinum, ex quo sperat. De illa speciale præceptum est, quapropter falsa est ea prop. *Homo nullo unquam vitæ suæ, &c.* 1. Alex. 7. non tamen obligaret in casu, quod alicui facta fuisset relevatio suæ damnationis.

37. *Spes sine amore esse non potest*, S. Aug Ench. ad Laur. cap. 8. Amor autem quidam perfectus est, quidam verò imperfectus, primus est amicitiæ, concupiscentiæ secundus. Insuper, & concupiscentia, aut casta est, aut servilis, inordinata prima non est, & sic diligere bonum est, secus esset, *si diligeret Deum propter Deum habendum, & hoc sit finis, in quo quiescimus, nam sic diligere malum est.* D. Th. op. 61. c. 3. Finis ergo proximus, cujus gratia castæ concupiscentiæ Divina bonitas est.

38. Sicut Spes, ita & Timor ab Amore profluit, proinde *mala sunt illa si malus amor, bona si bonus*, D. Aug. 14. de Civ. c. 7. quandoque homo propter mala à Deo recedit, & timor mundanus est, quandoque ad Deum accedit, & tunc vel timore pœnæ, & servilis, vel culpæ, & filialis, vel utriusque, & initialis est. Bonus itaque, & utilis est filialis, initialis, atque servilis, secundum substantiam spectatus, non ergo peccatum est, aut peccatores facit pejores timor gehennæ, per quam *ad misericordiam Dei de peccatis condolendo confugimus.* Trid. sess. 6. can. 8.

CHA-

CHARITAS.

39. CHaritas virtutum omnium Regina forma est diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ab eo distincta, veraque inter Deum, hominemque amicitia. Cum Beguardis errat, & Beguinis, qui ad talem existimat perfectionem posse pertingere, ut ultra nequeat augeri. Hoc maximum mandatum est diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; tenetur itaque homo sub mortali vi hujus præcepti in principio, aliquoties in decursu, & in fine suæ vitæ moralis actum dilectionis Dei super omnia elicere:

40. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*, p. Jo. 2., si quis enim diligit me sermonem meum servabit; errat itaque Quietistarum secta docens mandatorum Dei curam habendam non esse ei, qui ad vitam pervenit unitivam, probatio siquidem dilectionis, operis est exhibitio: actus Charitatis non immediatè à Spiritu Sancto, vel ab aliquo auxilio actuali, sed essentialiter procedere petit à gratia sanctificante tanquam à radicali principio.

INCARNATIONIS MYSTERIVM.

41. V*Erbum caro factum est*: possibilis subinde, imò de facto est Incarnatio, quamquam ne fines præscribamus Omnipotentiæ Divinæ non absolutè necessaria, *quæ poterat solo imperio suæ voluntatis humanum genus à dominatu Diaboli eruere* (S. Leo de pass. 14.) necessaria tamen simpliciter ad condignam, ac ex toto rigore justitiæ pro peccatis humani generis satisfactionem, qualem imò, & superabundantem Christus Dominus Æterno Patri pro nobis exhibere dignatus est.

42. Causa Christo Domino veniendi eam dicimus, *ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, ac deleatur iniquitas* (Daniel. 9.) vel cum Augustino loquamur: *Si homo non periisset filius hominis non venisset* (Serm. 8. de verb. Ap.) tolle igitur Adæ peccatum, & incarnatio ex vi præsentis decreti non erit: An autem saltem in carne impassibili non stante eodem peccato Christus venturus esset, cum juxta revelata loquendum sit, negandum omninò nobis est.

43. Non semetipsum Christus glorificavit, ut Pontifex fieret, sed imprævisis meritis propriis prædestinatos est ad filiationem Dei naturalem; nec Patribus antiquis gratiam, nec Beatæ Virgini Maternitatem in genere causæ efficientis promeruit. Potuit, & quamcumque naturam com-

ompletam substantialem assumere ad subsistendum, non verò suppositum; hinc habes nec materiam, formam, vel accidens posse ad subsistentiam assumi, benè quidem ad existentiam, quam unicam, eamque divinam in Christo Domino sustinemus.

44. Quod verbum corpus assumpsit verum fuit, & reale, non phantasticum, ut non dubitarunt asserere Saturninus, Marcion, & Cerdo: Non cœleste, ut Valentinus volebat; non æternum, ut docuit Apollinaris: sed terrenum, ac temporale: non anima destitutum, cuius loco verbum ipsum fuisset, ut primò somniarunt Apollinaristæ, sed rationali, nostræque simili anima actuatum, non tamen, aut fomitem peccati, aut peccandi potentiam assumpsit Sanctitas, ac puritas infinita.

45. Contra Monothelitarum errorem catholicè asserimus creatam cognitionem in Christo cum Divina inconfusam, ac triplici ejusdem Animam decoratam scientia cognoscimus, Beata scilicet, infusa, acquisita: habes iam quid contra eosdem hæreticos de voluntate sentiamus. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, plenitudine tamen finita si de creata loquamur: Fuit hæc ipsi necessaria ad merendum, illaque connotando gratiam unionis caput Ecclesiæ constitutus est, quem tamen invenit Filium Dei naturalem adoptivum non fecit.

F I N I S.



Disputabuntur publicè in Eccl. S. Pauli
Carmel. Discalc. Florentiæ
Anno Mense Die Hora



